



INTROITVS.

Cum (quod absque ulla arte divinatoria, ac prophetica facile quis prævidere poterat) Urbi nostræ summam diem, diem scilicet obsidionis, diem luctus, diem excidi venire persentiscerem; inter arma leges filere, atque Calliopen hostili curru inconcinne circumduci ratus, litterariam supellectilem meam tempestivus consarcinabam, ac paulo post largas inter lacrymas valedicens civitati, valedicens foro, valedicens domui, valedicens Musæo vicinum petebam locum. Procul negotiis, procul libris, genioque unice relicto mihi nil supererat, quain cogitare, ac, quod exinde profuit, innumeros conceptus, qui græce ἐννοῖαι ἐνθυμητα, atque etiam dicuntur, fabricari, atque ideas formare. Mox universi me oceupabat systema Imperii, mox de particularibus sollicitus eram ditionibus, mox communione Europæ malum me involvebat, mox pertractabam variam Martis aleam, mox possibiles futuræ Pacis con-



ditiones animo obversabantur, mox sortem, fortunamque meām contemplabar, mox propria mea damna me movebant, mox in admirationem hostilis citationis raptabar, mox aliorum fata novas curas injiciebant, mox medicinam parare allaborabam, mox castra, bellicique apparatus largam cogitandi materiem suppeditabant, mox duram agricolarum aspiciebam conditio nem: mox inconsulta, quæ minus æquus Amaryllidis meæ servus suggerebat, consilia variam in partem me agitabant, mox etiam cùm Marone agrestem meditar musam. Verbo: tot, tantisque conceptibus implicabar, ut me in fine deviantem comprehendereim. Quocirca revocavi animum, et Novellatores, seu conceptuum fabricatores, eorumque naturam, conditio nem, qualitates, genera, notasque characteristicas penitus perscrutari aggressus sum. Atque hæc præsentium origo est meditationum, quas apud Ubios hospes, medios inter armorum strepitus absolvi, textus contra, allegationesque jure postliminii quasi restitutus adieci ad Aquam Dusselam decima quarta Octobris

1759.



MEDI.